


BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ

FACULTÉ
DE
THÉOLOGIE
DE PARIS
THÈSES


BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
M.S.
692




BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
M S.
692



Volume de 409 feuillets
(moins 25, 26 et 346)
20 Juin 1912





Juillet 1874

131

Secretariat.

132

1874

Compendio

Religione cristiana e cattolica
e Santi Cristiani

Prologo

De religione christiana et catholica
Imperio 2^o Augustini

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

132

Demonstratio

Religionis christianæ et catholicæ
e Sancto Augustino

Prolusio

De religionis christianæ et catholicæ adversariis
tempore S. Augustini

Ex quo Constantinus imperator, Maxentio profligato, edictum mediolanense promulgavit, et Christianis perfectam religionis exercendæ libertatem concesserat quin etiam omnibus imperii romani civibus Christi doctrinam amplectendi facultatem recognoverat, aperte tandem, per Africam, Jesus Christus colébatur, eique templa erigebantur.

Jam non enim ut rebelles Christiani habebantur: quod nempe crimen omnibus viribus et tantâ eloquentiâ divus Justinus, Tertullianus et Origenes ille in Apologia, si vero operibus quæ inscribuntur = «Adversus nationes» et «Contra Celsum» diluere conati erant.

281
Deinde paulatim, in dies cognitio Christianorum doctrinam et cultu, quas congresserant pagani calumniæ evanuerant; neque amplius de Atheismo, de asini veneratione, de incendiis, de Adipodis incestibus, thiestisque cœnis et infanticiadiis loquebantur.

1: Attamen illis infensissimi multi deorum fautores perseverabant, Pagani eo saltē quod omnia quibus conficiebatur imperium, mala Christianorum culpā accidisse asseverarent: « Non pluit, nec ad Christianos» Sed enim, anno 410, Honorio imperatore et Heracliano Africam provinciam gubernante, Roma ^{ab} Alarico capta fuit, multā cum paganorum cœde ac templorum spoliatione, ea calamitas eorumdem incriminationes auxit; quippē cum Christo urbis ruinam addicerent, et Jovis sui alterū que deorum iram Christianis tribuerint.

2: Verum tamen magna philosophorum turba tunc vivebat, Philosophi qui Platonis præsertim præceptis addicti, inanes vulgi, superstitiones contemnebant, et diversè quidem Theogonias interpretabantur, sed omnes naturali aut philosophico sensu. Alii enim populares religiones nihil esse prætendebant, nisi quampiam philosophorum doctrinam, fabulis aut mythis (ut ~~actus~~ hodie dicitur) involutam; et ita de christianismo esse existimabant; quippē quem per miseros atque indoctos grassantem viderent.

3: Alia vero Philosophorum præcelli ^{ex cogitatis} Christi doctrinam et disciplinam aestimabant, multas ob causas quæ inferius enumerabuntur. Manichæi Sed quod erat multo luctuosius, Manichæorum error, per Africam invalescebat, omnia Naturæ secreta retēgere se promittens, et rerum omnium duo esse principia admittens, veteris tandem testamenti

libros veluti demonis opera, abiciens.

Manichæus nempe, in Zoroastri scholâ emittitur tertio saeculo in finem labente, Persarum dogmata amplectens erat ac magorum instituta cum religione christianâ conciliare aggressus erat. Cujus fallacibus promissis ipse Augustinus irretitus est, Deo permittente, ut fortius postea, quod melius cognoverat, refelleret valeat.

4.
Donatistæ

Postremo Donatistarum schisma multos catholicos deceperat, quod nempe apud Donæ discipulos veram vigere ecclesiam vaticinabatur quasi e tripodibus et quodlibet cum illâ, ut improbis et lapsis repleta, commercium ^{reiciebat} refalbat. Quanta fuerit istorum vis atque audacia satis probant quæ Sanctus Augustinus narrat, in epistolâ ad Donatistas.

« Ubicumque vellemus prædicare veritatem, ut eam securus quisque audiret, et volens eligeret, nunquam permisistis, pro violentiis et tenores vestros. Nolite studere et perturbare animos vestros; patientes, si fieri potest, considerate quod dicimus et recolite facta circumcellionum vestrorum, et clericorum qui duces eorum semper fuerunt, nam ut longè præterita et multa non repetamus, saltem recentia facta vestra cogitate. Marcus presbyter Casphalianensis a nemine coactus, propriâ voluntate catholicus factus est. Quare illum vestri persecuti sunt, et penè occidissent, nisi Dei manus per homines supervenientes violentiis eorum compressisset. Restitutus Victorianensis ad catholicam nullo cogente, se transtulit. Quare raptus est de domo suâ, cæcus, in aquâ volutatus, budâ vestitus, et nescio quod dies in captivitate retentus est ».

181
Eot talesque sunt adversarii, si Judæos, satis cognitos addideris
quos primū depugnandos, in Africā, divus Augustinus invenit,
quosque confutando, aut epistolis suis aut variis operibus, absolutam
perfectamque religionis christiāne et catholice demonstrationem
consecit, quam hodiē benevolentie vestre subijcimus.

Caput primum

»SIC«

Adversus Paganos

demonstratio S^t Augustini. ~

Inconcessam diis fidem multi servaverant, qui Romanas res horum
benevolentia ac potentia auctam firmiter credebant, nec satis religionis
suae fabulis inanibus ac nefariis prescriptionibus attendebant.

Qua ergo via ad saniores sensus atque ad veritatem reduci poterant?

Duplex quidem Augustino patebat via; prior jam trita, posterior
vero recentior ac valentior; scilicet primum sanae menti cuique et
rationi sane humanae, quam Tertullianus naturaliter esse christianam
asserit, inanitatem ac turpitudinem paganismi patefaciendo deinde roma-
narum ipsorum historiam, quae revera calamitatibus, etiam ante Christum,
referta est, testando atque explicando, ut deorum impotentia omnibus patefiat.

Post multos ergo alios religionis christianae defensores, priorem illam
Augustinus intravit viam, sed longius omnibus penetravit et perfectius
nobis immensam deorum seriem et cultus infamias aperuit. Primum
romanae historiae deorum in rebus externis gerendis impotentiam, illus-
travit; et ita novissimam paganorum speciem diluit.illum vero
nume dissentem audiamus et sequamur.

Discamus primum quid nobis sint paganorum dii; quid velint, quid optent, quid adament, quanti tandem estimandi sint!

Virtutis quidem atque honestorum morum parum curant, nec cultores suos ad bene vivendum ullis legibus adiutant, ne docentes quidem quamdam bonam artem in templis suis.

« De vita et moribus civitatum atque populorum, a quibus colebantur illa numina, non curarunt, ut tam horrendis et tam detestabilibus malis, non in agro et vitibus, non in domo atque pecunia, non denique in ipso corpore, quod menti subditur, sed in ipsa mente, in ipso rectoris carnis animo, eos impleri ac pessimos fieri sine ulla terribili prohibitione permitterent. Sed demonstrantur vel commemorantur loca talibus aliquando conventiculis consecrata, non ubi ludi agerentur obscenis vocibus et motibus histrionum, sed ubi populi audirent quid dii praeciperent de cobibenda avaritia, ambitione frangenda, luxuria refruanda. » (De civitate. Liv. II. Cap VI).

At id parum esset, si iidem dii se ludis ignominiarum plenis coli non jussissent.

« Hoc dico, quod negantes convicit historia, eosdem illos ludos, in quibus regnant figmenta poetarum, non per imperitum obsequium sacris deorum suorum intulisse Romanos, sed ipsos deos, ut sibi solemniter ederentur, et honori suo consecrarentur, acerbè imperando, et quodam modo extorquendo fecissent (De civitate. Liv. II. Cap VIII.) Antea vero scripserat idem:

« Verumtamen scitote, qui ista nescitis, et qui vos scire
dissimulatis advertite, qui adversus liberatorem a talibus
dominis murmuratis: ludi scenica, spectacula turpitudinum
et licentia vanitatum, non hominum vitus, sed deorum
vestrorum jussis Romae instituti sunt. » (De civitate Lib. I. cap. 32).

Sed quis est tam caecus qui tunc non videat viros plures
exstitisse istis diis meliores ?

Quid, enim Sancto Augustino, Scipionem illum nasicam
illis non anteferat, cum ille consul caveam theatri senatum
constituere molientem, ab hac dispositione et cupiditate, compes
cuerit, ne quid detrimenti res publica capiat. Quis non Platonem
anteposuit ? « Qui et deorum injurias indignè tulit et fucari
corrumpique figmentis animos civium noluit. Confer nunc Platonis
humanitatem a civibus decipiendis poetas urbe pellentem, cum
deorum divinitate honori suo ludos scenicos expetente. Ille ne
talìa vel scriberentur, et si non persuasit disputatio, tamen suasit
levitati lasciviaeque Graecorum; isti, ut talia etiam agerentur,
jubendo extorserunt gravitati et modestiae Romanorum. Nec tantum
haec agi voluerunt, sed sibi dicari, sibi sacrari, sibi solemniter
exhiberi. Cui tandem honestius divinos honores descernit civitas,
utrum Platoni haec turpia et nefanda prohibenti, an demonibus
haec hominum deceptione gaudentibus ? » (De civitate Lib. II. cap. XIV).

At forsam in templis omnia sancta, omnia pura, omnia irreprehensi-
bilia aguntur aut dicuntur ad deos illos venerandos ? Non ! Erratis
totã viã, nam hic magis adhuc omnia abominanda se habent,

ut ipse non semel Augustinus vidisse cum indignatione testatur:
« Veniebamus etiam nos aliquando adolescentes ad spectacula
ludibriaque sacrilegiorum: spectabamus arreptitios, audiebamus
symphonicos; ludis turpissimis qui diis deabusque exhibebantur,
oblectabamur. Cælesti Virgini et Berecynthiæ matri omnium:
autem ejus lecticam die solemnè lationis ejus, talia per publicum
cantabantur a nequissimis scenicis, qualia, non dico matrem deorum,
sed matrem qualiumcumque senatorum vel quorumlibet honestorum
virorum, imò vero qualia nec matrem ipsorum scenicorum deceret
audire. » (De civitate Lib. II Cap. IV.)

Minima quidem prudentia cuiquam, ne pro parentibus suis talia
patiat, imperat! Scipionem adhuc Sanctus Augustinus testatur; qui
nempe divinos honores mæ matri, si fieri posset, optaret; sed si ab
illo quaereretur, utrum inter ejus honores vellent illa turpia celebrari,
se nolle clamaret. Nec ullo modo crederet verecundiam laudabilis
femine ita in contrarium divinitate mutari, ut honoribus etiam eam
advocarent cultores sui, qualibus conviciis in quempiam jaculatis, cum inter
homines viveret, nisi aures clauderet, seseque subtraheret, erubescerent
pro illa et propinqui et maritus et liberi.

Diï tandem ad omnia nefaria committenda cultoribus^{et} exemplis
suis irritant, et « Velut divinam auctoritatem cunctis sceleribus
præbent ». Invidia, individua, superbia, omnibus que cupidinibus dant
habenas; inter se pugnant, gulosi, adulteri, raptores sunt. Quid ergo
de cultoribus et dilectoribus talium deorum expectandum est?

« Quisque Divitiis semper augeat, quae quotidianis effusionibus suspetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior: Obsequantur Divitibus pauperes causa saturitatis, atque ut eorum patrociniis quæta inertia fruantur.

Divites pauperibus ad clientelas et ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant, non consultoribus utilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non jubeantur dura, non prohibeantur impura; abundant publica scotta, vel propter omnes quibus uti placuerit, vel propter eos maxime, qui privata habere non possunt. Extruantur amplissima atque ornatissima domus, opipara convivia frequententur, ubi cuique libuerit, et potuerit, die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Ea est paganorum ambilio, ea sunt vota! Horret animus tales deos talesque asseclas! Quam propter evidens apparet inique honesto animo paganitatis inanitas et turpitudine, praesertim si eam Christianorum vivendi modo conferamus: « Hi enim confluant ad ecclesias casta celebritate; ubi audiant quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beatè semperque vivere mereantur. Nihil eis turpe ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficium postulantur. » (De civitate. L. II Cap. XXVIII).

Verim tamen Paganorum dii tam vitii non inficiati modò
 sed et afficientes, in rerum externarum gubernatione quam maxime
 valuerunt? Id saltem sui adoratores dectabant atque ^{asseverabant} asseverant;
 quibus id responsum tam eloquentiæ plenum quam vi ex veritate,
 Augustinus noster coniecit: « Ubi erant ergo illi dii, qui propter
 exiguam fallacem que hujas mundi felicitatem colendi existiman-
 tur; cum Romani, quibus se colendos mendacissimæ astutiæ
 venditabant, tantis calamitatibus vexarentur? Ubi erant, quando
 Valerius consul ab exulibus et servis incensum Capitolium
 cum defensaret, occisus est? Ubi erant quando densissimis fatigato
 civitas seditionum malis, cum legatos Athenas missos ad leges
 mutuandas paupertum quietâ opperiretur, gravi fame pestilentiaque
 vastata est? Ubi erant quando rursus populus, cum fame
 laboraret, præfectum annonæ primum creavit? Ubi erant quan-
 do pestilentia maximæ exorta, diis inutilibus, sine remedio
 populus dii multumque fatigatus, nova Lectisternia exhibendæ
 arbitratus est? Ubi erant, quando Galli Romani ceperunt,
 spoliaverunt, incenderunt, cædibus impleverunt? Ubi erant,
 cum illa insignis pestilentia tam ingentem stragem dedit,
 quâ et ille Tullius Camillus exstinctus est qui rempublicam
 ingratorum, et a Veientibus ante defendit etc (De civitate.
 Livre III Cap. XVII.) Sic interrogationibus suis ingenio, paganis
 omnes a Romanis perpassas calamitates memorabat, ab urbe condita
 usque ad tempora sua, sub consulibus, sub regibus, sub imperatoribus;

et omnibus in casibus deorum impotentiam patefaciebat. Quin etiam iniquitatem paganorum sibi mentitam esse ostendebat, cum ipsi tam deorum de praesidio differunt ut singularum rerum tuitionem singulis committerent numinibus. « Quando autem possunt uno loco libri hujus commemorari omnia nomina deorum, aut dearam, quae illi grandibus voluminibus ~~vis~~ comprehendere potuerunt, singulis rebus propriae dispartientes officia numinum? Nec agrorum munus uni alicui Deo committendum arbitrati sunt; sed una deae Rusinae, juga montium Deo Jugatino, collibus Deam Collatinam, vallibus Valloniam praefecerunt. Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui semel segetes commendarent: sed sata frumenta quando in sub terrae essent praepositam voluerunt habere Deam Segetiam; frumentis vero collectis atque reconditis, ut tuto servarentur, Deam Cutilinam praeposuerunt. » (De civitate. L. IV. Cap. VIII.) Eam et apud Ciceronianum ironicam nomenclaturam me invenisse meminisse breviorum uti litteris suis decebat, sed tamen non minus potentiam!

Sed quid! Ipsi pagani suos deos desierunt saepissime et in orbis regimine imbecilles declararunt. Quorum testimonia refert Augustinus ut suam probationem concludat. Saevola enim doctissimus ille pontifex, populare deorum genus respicit, quia ne bonis quidem hominibus comparari possunt, enim alium faciunt furari, alium adulterare, sic item aliquid aliter, turpiter, atque ineptè dicere ac fallere. Cicero angur irridet anguria et reprehendit homines corvi et corniculae vocibus vitae consilia moderantes. In libro suo enim titulus: « De naturae deorum »

181
talia scribere ausus est: « Videstine, ut à Phytitis rebus bene
atque utiliter inventis, ratio sit tracta ad commentitios et fictos deos?
quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos et supers=
titiones penè aniles. Et formæ enim decorum nobis, et atates et vestitus
ornatusque notæ sunt; genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque
traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Nam et perturbatis
animis inducuntur; accepimus enim decorum cupiditates, ægritudines,
iracundias. Nunc verò (ut fabulæ ferunt) dii bellis præliisque
caruerunt. Nec solum, ut apud Homerum, cum deos exercitus contra=
rios alii dii ex aliâ parte defenderent, sed etiam ut cum Titanis,
aut cum gigantibus sua propria bella gesserunt. Hæc et dicuntur
et creditur stultissimè et plena sunt vanitatis summæque levitatis. »

In his ergo omnibus cum Sancto Augustino Scævola et Cicero
concordant, quamvis ad eundem terminum non tendant. Augustinus
enim sic concludebat: « Stulti deos falsos fallaces que requirere; sed
supplica Deo vero ut illos a te removeat. » Dum illi petebant ut,
relictis crassis superstitionibus, pagani philosophorum humaniora
instituta sequerentur. Quæ ipsa, antequam esse falsa monstremus, nobis
concludendum venit Paganorum deos scelestos, nefarios, impotentes om=
nino esse; nec jam inde colendos; sed Deum verum, unicum cæli
terreæque dominum, deum Christianorum amplectendum esse.

138

Caput secundum.

Adversus Philosophos.

Multi certè, sed variis modis, philosophi Christianismo adversabantur. Alii enim, post Varronem, poetarum fabulas et vulgi superstitiones contemnentes, paganorum deos nihil esse nisi magnæ naturæ partes et phænomena docebant. Itaque omnia mundi membra (ut ait Encretius) deificabant et sic pro pantheistis verè haberi poterant. Varro enim ille, quem Cicero Romanorum doctissimum vocat, librum qui inscribitur Antiquitates confecerat, in quo, postquam errorum omnium apud Romanos acceptorum seriem perfectissimam ~~ex~~olverat, suam de diis naturalem aut physicam interpretationem dabat. Hunc Justinus sanctus primo, post vero Tertullianus confutaverant, quem Augustinus tandem demò errantem ac desipientem monstrabit.

Alibi Platonis doctrinæ dediti, tertio sæculo, cum Ammonio Sacca, Platino et Corybzyrio novam instituerant disciplinam, in quâ philosophiæ suæ paganismum et Christianæ religionis dogmata mixtosè miscebant.

Plures tandem cum Celso directè Christianismum aggrediebantur, quem nempe philosophorum disciplinis et efficacitati omnino inferiorem esse prædicabant.

Hos omnes Augustinus cum illâ rationis vi et sermonis eloquentiâ, quam nullus adhuc ostenderat, ut mox patebit, confutavit.

Varronis refutatio.

Varrus omnem theologiam, id est de diis sermonem omnem, in fabulosam, civilem et naturalem dividit. Illam vocabat fabulosam quam poetae finxerunt, civilem vero quam populi instituerunt; sed utramque reprehendebat. Nam et Civilis et fabulosa ambae, ut Scribatur, fabulosae erant, ambaeque civiles: ambas inveniebat, fabulosas ~~tas~~ ut qui vanitates et obscenitates ambarum prudenter inspexerat, ambas civiles qui scenicos ludos pertinentes ad fabulosam in deorum civilium festivitatibus et in urbium divinis rebus advertebat. Cum aperte Civilem theologiam reprehendere non audebat, ejus timiditatem atque haesitationes his verbis Augustinus detegit: « Quis ergo usque adeo tardus sit ut non intelligat istum hominum civilem theologiam tam diligenter exponendo et aperiendo, eamque illi fabulosae, indignae atque probrosae similem demonstrando, atque ipsam fabulosam partem esse hujus satis evidenter docendo, non nisi illi naturali, quam dicit ad philosophos pertinere, in animis hominum moliri locum, ea subtilitate, ut fabulosam reprehendat, civilem vero reprehendere quidem non audeat, sed prodeundo reprehensibilem ostendat, atque ita utraque iudicio recte intelligentium reprobata, sola naturalis remaneat eligenda. »

Quae et qualis erat illa Naturalis Theologia? Ipse nos Varro docebit. Dicit enim deum se arbitrari esse animam mundi quem Graeci vocant $\chi\omicron\omicron\mu\omicron\nu$; et hunc ipsum mundum esse Deum. Sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore. Hic videtur quoque modo confiteri

nam Deum, sed ut plures etiam introducat, adiungit mundum dividi in duas partes, caelum et terram autem in aquam et humum: equibus summum esse aethera, secundum aera, tertiam aquam, infimam terram: quas omnes partes quatuor animarum esse plenas, in aethere et aere immortalium; in aqua et terra mortalium; ab summo autem circuitu caeli ad circulum lunae aethereas animas esse, sed etiam videri; inter lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aereas esse animas, sed eas animo, non oculis videri; et vocari ^{heros} heros et lares et genios (De civit. l. VII. Cap. VI.)

His vero Varronis excogitatis duplici ratione Sanctus Augustinus respondit. Primum illius incertitudinem ipsam aperiendo; nam scripsit iste philosophus: « Cum in hoc libello dubias de diis opiniones posuero reprehendi non debeo. Qui enim putabit iudicari oportere et posse, cum audierit, faciet ipse. Ego citius perducere possum, ut in primo libro quae dixi in dubitationem revocem, quam in hoc quae perscribam omnia ut ad aliquam dirigam summam. » Ita Varro de omnibus dubitare quam aliquid affirmare maluit. Nec enim solum de diis incertis quod dixerat, sed etiam illud de diis certis incertum esse declarat. Quin etiam ingressurus hujus civilis theologiae vanitates et insanias mendaces, ubi eum non solum non ducebat rerum veritas, sed etiam majorum premebat auctoritas dixit: « De diis populi Romani publicis, quibus aedes dedicaverunt, eosque pluribus signis ornatos notaverunt, in hoc libro scribam, sed ut Xenophanes Colophonius scribit, quid putem, non quid contendam, ponam. Hominis enim haec est opinari, Dei Scire. »

Secundo philosophus ille, dum ad naturam referre omnia satāgit, in contradictionibus incidit, nec omnium deorum rationem reddere potest. Partem enim animæ mundi, quæ mare permeat, deum Neptunum vocat, sed cur undam ad littus venientem et in Salum redientem duas mundi partes esse dixit aut duas partes animæ mundi? Talia communis sensus rejicit. De terrâ autem quam Deam Varro declaraverat ita disserit Augustinus: « Cur eam voluit deam? Et quia fecunda est? Cur ergo ^{non} magis homines dii sunt, qui eam fecundiores faciunt excolendo; sed quoniam arant; non eam adorant. Sed pars animæ mundi, inquit, quæ per illam permaneat, deam fecit. Quasi non evidentior sit in hominibus anima, quæ utrum sit, nulla fit quæstio, et tamen homines dii non habentur. »

Sed ista tellus quatuor deos facit; Bellurem enim putant esse Opem, quod opere fiat melior; Materiam, quod plurimam pariat, Magnam quod cibum pariat, Proserpinam quod ex eâ proserpant fruges; Vestam quod vestiatur herbis. Quare ergo itur in multos deos? Unius sint ista multa nomina, verum non tam deæ multæ quam nomina!

Jam tunc, cum Augustino, rectius concluditur hos Varronis deos esse Dæmones qui nos decipere aut homines quibus cultum perhibuerunt: « De diis credibilior redditur ratio, cum perhibentur homines fuisse et unicuique eorum ab his qui eos adulando deos esse voluerunt, ex ejus ingenio, moribus, actibus, casibus, sacra et solennia constituta, atque hæc paratim per animos hominum dæmonibus similes et ludicrarum, rerum avidos irrependo longè lateque vulgata

ornantibus ea mendacis poetarum et ad ea fallacibus spiritibus seducentibus. Et Ea quidem non est nova responsio; nam in antecedentibus apologiis eam invenimus quippe quid id praesertim patefacere conati sint, scilicet Deos omnes Daemones esse qui homines fallunt et perdunt. Quanto ergo rationabilius videtur Christianorum doctrina quae ad Deum unum refert omnia quae philosophi ad mundum partesque ipsius retulerant; nam Deum colunt Christiani non caelum et terram, quibus duabus partibus mundus hic constat: nec animam vel animas per viventia quaecumque diffusas, sed Deum qui fecit caelum et terram et omnia quae in eis sunt: qui fecit omnem animam, sive quocumque modo viventem et sensus et rationis expertem, sive etiam sentientem, sive etiam intelligentem. — Quae de causa, Varronis tentamina rejicienda videntur ut pote non sufficientia aut rationi contraria.

2^o

Platoniorum confutatio.

Contra omnes philosophorum bonum opiniones refutare suscepit Augustinus, sed eas tantum quae ad Theologiam pertinent. Ubi ergo Platonici cum et esse divinitatem et humana curare consentiant non tamen sufficere minus incommutabilis Dei cultum ad vitam adipiscendam, etiam post mortem, beatam, sed multos, ab illo sane uno conditos atque institutos ob eam causam colendos putant. Varronis etiam opinionem veritatis propinquitate transcendunt. Si quidem ille totam theologiam naturalem usque ad mundum istum vel ejus animam extendere potuit;

111
illi vero supra omnem animæ naturam confitentur Deum, qui non solum mundum istum visibilem, qui sæpè cæli et terræ nomine unicipatur, sed omnem etiam omnino animam fecerit; et qui rationabilem et intellectualem, cujus generis animæ humana est, participatione sui luminis incommutabilis et incorporei beatam facit.

Super omnes philosophos, in eâ philosophiæ parte quæ Physica nominatur, in logicâ, id est, rationali philosophiâ, in morali tandem principatum obtinent. Sed in hoc omnes erraverunt, et ipse Plato, quod diis plurimum esse sacra facienda putaverunt.

Omnium, inquit, animalium in quibus est anima rationalis, tripartita divisio est, in Deos, homines, dæmones. Diu excelsissimum locum tenent, homines infimum dæmones medium. Nam Deorum (ut ait Plato, in Epinomide) sedes in Cælo est, hominum in terrâ, in aere dæmonum. Sicut eis diversa dignitas est locorum, ita etiam naturarum. Proinde dii sunt hominibus dæmonibusque potiores, homines verò infra Deos et dæmones constituti sunt, ut elementorum ordine, sic meritum differentia. Dæmones igitur mediis, quemadmodum diis quibus inferius habitant postponendi, ita hominibus, quibus superius, præferendi sunt.

Habent enim cum diis communem immortalitatem corporum animarum autem cum hominibus passiones. Quapropter non est mirum, inquit, si etiam ludorum obscenitatibus et poetarum figmentis delectantur; quandoquidem humanis capiuntur affectibus, a quibus dii longè absunt et modis omnibus alieni sunt.

Atamen inter hos Platonicos in primis Apuleius emicuerat, qui librum de Deo Socratis composuerat, ubi disserebat et exponebat,

141.

ex quo genere nunquam Socrates habebat adjunctum et amicitiam
quādam conciliatum, a quo perhibetur solitus admoneri.

In hoc ergo libro nihil inveniebat quod laudaret in dæmonibus,
præter subtilitatem et firmitatem corporum, et habitationis altio-
rem locum. De moribus eorum, non solum nihil boni dixit sed etiam
plurimum mali.

Hunc ergo primum triplici hoc argumento redarguit Augustinus.
Primo dæmones non sunt meliores quod habeant corpora meliora;
aliqui multas sibi et bestias prælaturos est Apuleius, quæ nos et
acrimoniâ sensuum et motu facillimo atque celerrimo, et Valentia
virium et annosissimâ firmitate vincunt.

Secundo omnino ridiculum est ut dæmones nobis esse præpo-
nendos existimemus, quod in aere nos autem in terrâ habitamus. Hoc
enim pacto nobis et omnia volatilia præponere deberemus.

Tertio de moribus dæmonum cum idem loqueretur, dixit eos
eisdem quibus homines animi perturbationibus agitari, irritari injuriis,
obsequiis donisque placari, gaudere honoribus, diversis sacrorum ritibus
ablectari, et in eis si quid neglectum fuerit, commoveri. Quam igitur
insipientiâ, vel potius amentiam per aliquam religionem dæmonibus
subteremur, cum per veram religionem ab eâ vitiositate, quam illis
sumus similes, liberemur? « Cum enim dæmones, quod et iste Apuleius,
quamvis eis plurimum parcat, et divinis honoribus dignos censeat,
tamen cogitur confiteri, iram instigentur; nobis vera religio præcipit
ne iram instigemur, sed ei potius resistamus. Cum dæmones
donis invitentur, nobis vera religio præcipit ne cuiquam donorum

511
acceptatione faveamus. Quae igitur causa est, nisi stultitia
errorque miserabilis, ut cito facias venerando hunc illum, cui te
cupias vivendo dissimilem, et religione colas, quem imitari nolis,
cum religionis summa sit imitari quem colis? 77

Argumentum ad hominem deinde expronipit Augustinus. Exstat
enim hujus Apuleii copiosissima oratio, qua crimen artium magi-
carum a se alienum esse defendit. Se ergo, ut ait Augustinus,
aliter non vult innocentem videri, nisi ea neganda quae non possunt
ab innocente committi. Ad omnia magorum miracula, quos recte
sentit esse damnandos, daemonum doctrinis et operibus fiunt; eos ergo
tanquam venerandos non commendare potest, quorum debemus opera
imitare.

Apuleio tandem Hermes Trismegisti testimonium contra
daemones apponit noster. Aegyptius enim ille multum auctoritatis
tunc possidebat, quam hodie amisit, cum fabricata ejus opera neque
ingenua sint.

Ex hoc errore, quasi ex fonte, alter manabat dicentium daemo-
nes istos esse inter deos et homines vere mediatores. Quod falsum
facillime Augustinus ostendit. Nam si deorum mens, ut Apuleius
confitetur, passionibus libidinum, formidinum, irarum atque hujus-
modi caeteris subditur, quae pars in eis libera est; compositos que sapientiae,
qua placeant diis, et ad bonorum morum similitudinem hominibus
consulatit. Verum enim medium habemus, Christum, qui non solum
homo, verum etiam deus est, ut homines ex mortali miseria ad beatam
immortalitatem perducatur; quem neque non fieri mortalem oportuit,

142

neque permanere mortalem. Mortalis quippè factus est, non infir-
mata verbi divinitate, sed carnis infirmitate suscepta; non autem
permausit in ipsa carne mortalis, quam resuscitavit a mortuis:
quoniam ipse fructus est mediationis ejus, ut nec ipsi, propter quos
liberandos mediator effectus est, in perpetua vel carnis morte permaneant.

His tandem omnibus, novam de mentis Purificatione doctrinam
Porphyrius addiderat. Oracula enim ille dicebat expressum fuisse:
Principia posse purgare; et per Principia audit Deum patrem et
Deum filium, quem græcè appellat paternum intellectum vel
paternam mentem. Erubescerat enim de Theurgia quam ad mun-
dandam animam ^{utilem} ultimam esse multi profitebantur. Sed tamen sub-
ditus invidis protestatibus de quibus erubescerat, et eas liberè redarguere
formidabat. Voluit intelligere Christum dominum esse principium,
cujus incarnatione purgamur. Inconstantiam ergo Porphyrii re-
prehendit Augustinus, fluctuantis inter confessionem veri Dei et
cultum daemonum. « Quid adhuc trepidas; o philosophe, adversus
potestates et veris virtutibus et veri Dei muneribus invidias
habere liberam vocem? Jam distinxisti angelos qui patris an-
nuntiant voluntatem, ab eis angelis qui ad theurgos homines,
nescio quâ deducti arte, descendunt. Quid adhuc eos honoras, ut
dicas pronuntiare divina? Quæ tandem divina pronuntiant, qui
non voluntatem Patris nuntiant? Nempe illi sunt, quos sacris
precibus individuis alligavit, ne præstarent animæ purificationem; nec
a bono, ut dicis, purgare cupiente ab illis vinculis solvi et suæ
potestati reddi poterunt. Adhuc dubitas hæc maligna esse

54
dæmonia; vel te fugis fortasse nescire, dum non vis theurgos
offendere, a quibus curiositate deceptus, ista perniciosa et insana pro
magno beneficio dædicisti? 7. (De civit. Liv. X. chap. XXVI.)

3°

Rationalistarum refutatio philosophorum.

Rationalistæ quidam philosophi, Celsi vestigiis insistentes, eo christia-
nismum increpabant, quod fidem perfectam exigeret ad discipulis suis,
atque eam fidem quæ nullo super fundamento stabili nititur, dum
Philosophi omnibus Scientiam præbeant ac prætent. Ut hodie ad
hinc dicitur, se fidem præbere negabant nisi iis rebus quas viderent.

Quibus sanctus Augustinus respondit primum ostendendo Fidei necessi-
tatem etiam in rebus humanis hoc duplici ratione.

1° « Dic mihi, amici tui erga te voluntatem quibus oculis
vides? Nulla enim voluntas corporeis oculis videri potest.
An vero etiam hoc vides animo tuo, quod in animo agitur alieno?
Quod si non vides, quomodo amicali benevolentiae vicem rependis,
si quod non potes videre, non credis? An forte dicturus es, alterius
voluntatem per ejus opera te videre? Ergo facta visurus et verba
es auditurus, de amici autem voluntate id quod videri et audiri non
potest crediturus. Non enim voluntas illa color est aut figura,
ut oculis ingeratur, vel sonus aut cantilena, ut auribus illebatur,
aut vero tua est ut tui cordis affectione sentiatur.

Restat itaque ut nec visa, nec audita, nec apud te intus
conspecta credatur, nec tua vita deserta sine ulla amicitia

relinquatur, vel impensa tibi dilectio vicissim abs te non rependatur.

Ubi est ergo quod dicebas, te credere non debere, nisi quod videres, aut extrinsecus corpore aut intrinsecus corde?..... Si auferatur haec fides de rebus humanis, quis non attendat quanta earum perturbatio, et quam horrenda confusio subsequatur? Quis enim mutua caritate diligetur ab aliquo, cum sit invisibilis ipsa dilectio, si quod non vides, credere non debeo?..... Si hoc dicant coguntur fateri incertos esse parentes suos: quia et hinc aliis narrantibus, nec tamen quia jam proteritum est id ostendere valentibus crediderunt. (De vera religione)

2^o Fides necessaria quia in temporalia devenimus et eorum amore impendimur, quaedam temporalis medicina, quae non scientes sed credentes ad salutem vocat, non naturae et excellentiae, sed ipsius in temporis ordine prior est. Nam in quem se cum quisque ceciderit ibi debet incumbere ut resurgat. Quin etiam, ut passim dicit Augustinus in libro de vera religione, non omnes valent, ob multiplices labores, ob ingenii tarditatem et alias causas, religionis veritates perspicere et scire, quas tamen credere facile est.

Hunc vero, quod est multo gravius, fides non modo necessaria est, sed et rationabilissima. « Multum enim falluntur qui putant nos sine ullis de Christo indicis credere in Christum. Nam quae sunt indicia clariora, quam ea quae nunc videmus praedicta et impleta? » (De vera religione).

Hic ergo sanctus Augustinus exponit ea quae vulgo theologi vocant Credibilitatis motiva, seu fundamenta quibus Christianorum

441
fides nititur; scilicet Prophetias et miracula. Per prophetias incipit sanctus doctor et illas memorat quae factae sunt de Christi nativitate, de ejusdem origine, de ecclesiae propagatione; quas omnes in Christo et Christianismo impletas videre poterant.

Prophetiarum possibilitatem instituerat adversus Tullium, in civitate Dei (Lib. V cap. 8. 9. 10.) et hunc praesertim oratoris errorem diluerat, quo praetendebat ille homini libertatem eripi per praescientiam divinam. Illud ergo argumentum exposuit: « Non propterea nihil est in nostra voluntate. Non enim qui hoc praescivit nihil praescivit. Porro si ille qui praescivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit; profecto et illo praesciente est aliquid in nostra voluntate. Quo circa nullo modo cogimur aut retenda praescientia

Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare praescium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur; illud, ut bene credamus; hoc ut bene vivamus &c.

De Miraculis autem ita disseit in libro De utilitate credendi.
« Miraculum voco, quid quid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet, in quo genere nihil est populi aptius, et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admoveatur. Sed rursus haec in duo dividuntur; quaedam enim sunt, quae solam faciunt admirationem, quaedam vero magnam etiam gratiam, benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi, praeter

ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit, convalescat, admirationem Sanitatis suae, sanantis etiam caritate superabit. 77

Post hanc luculentam definitionem ac distinctionem, ad applicationem venit dicens: « Talia facta sunt illo tempore quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati, mundati leprosi, incessus claudis, caecis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt; ita quaedam corpori manifestiori beneficia, quaedam vero menti occultiori signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant; sic in se tunc animos errantes mortalium divina commovebat auctoritas. (De unitate credendi. cap. XVI.)

Est tamen, est miraculum de quo libentius Doctor noster locutus est ac fusius, scilicet Conversio totius mundi ad religionem Christianam et ecclesiae diffusio tam rapida. « Quanquam, inquit, si de Christo et ecclesia testimonia nulla praeceperint, quem non movere deberet ut crederet, repente illuxisse divina humana generi claritatem, quando videmus, relictis diis falsis, et eorum confectis usquequaque simulacris, templis subversis, sive in usus alios commutatis, atque ab humana veterosissima consuetudine tot vanis ritibus extirpatis, unam verum Deum ab omnibus invocari? Et hoc esse factum per hominem illum ab hominibus, comprehensum, vinctum, flagellatum, expalatum, exprobratum,

241
cruifixum, occisum: discipulis ejus, quos idiotas et imperitos et
piscatores et publicanos, per quos ejus magisterium commendaretur,
elegit, annuntiantibus ejus resurrectionem, ascensionem, quam se
vidisse dixerunt, et impleti spiritu sancto, hoc evangelium linguis
omnibus, quas non didicerant, sonaverunt. Quos qui audierant par-
tim crediderunt, partim non credentes praedicantibus ferociter res-
titerunt. Ita fidelibus usque ad mortem pro veritate, non mala
rependendo, sed perpetuando certantibus, nec occidendo, sed moriendo
vin contibus; sic in istam religionem mutatus est mundus, sic hoc
evangelium corda conversa mortalium, marium et feminarum, par-
vulorum atque magnorum, doctorum et indoctorum, sapientium et
insipientium, potentium et infirmorum, nobilium et ignobilium, ex-
celsorum et humilium, et per omnes gentes ecclesia diffusa sic crevit,
ut etiam contra ipsam catholicam fidem nulla perversa secta, nullum
genus exoriatur erroris, quod ita reperiat Christianae veritatem
adversari, ut non affectet et non audeat Christi nomine gloriari.
Quando tantum Crucifixus ille potuisset, nisi Deus hominem
suscepisset? » (De fide rerum quae non videntur. C. VII)

Nullo modo perfectiori poterat capere illud prodigium vis divinae qua
cum christiana religio per mundum diffusa est, et pectora mutavit. Gran-
de quidem miraculum quod satis praecellentiam Christianae doctrinae phi-
losophorum omnium systematibus ostendebat. Qui nempe ut magis de
impotentia convincerentur, eorum Augustinus contradictiones aperit.
Nam illud apparet aliud eos in religione suscepisse cum populo, et
aliud eodem ipso populo audiente defendisse privatim. Quod si hoc

num tantum vitium Christiana disciplina sanatum videremus, ineffabili laude predicandam esse neminem negare oporteret.

Hic ergo concludendum videtur ut paganismum sic philosophorum omnia systemata atque inventa Christiana religione vinci; quae tunc Religio vera declaranda est.

Caput tertium

Adversus Manichæos

Manichæi duas naturas vel substantias singulis principiis adversus invicem rebelles esse arbitrabantur. Offensi enim quibusdam rebus, et cursus quibusdam delectati, non earum quibus offenduntur, sed earum quibus dilectantur, volebant esse auctorem Deum.

Duas ergo animas esse in uno corpore existimabant: unam de Deo, quæ naturaliter hoc sit quod ipse; alteram de gente tenebrarum, quam Deus nec genuerit, nec fecerit, nec protulerit, nec abjecerit; summo posterioris regnum habuerit ingenitumque principium. Sed quodam tempore adversus Deum rebellasse, Deum autem cum aliud quod faceret non haberet, et quomodo aliter posset hosti resistere non inveniret, necessitate oppressum misisse huc animam bonam, et quendam particulam suæ substantiæ, cujus commixtione atque miscelâ hostem temperatum esse somniant, et mundum fabricatum.

Hunc errorem Augustinus argumento duplici refutavit; prius e naturâ mali ipsius excerptum et posterius e Manichæorum insanis practicis ac nefariis commissis.

1º « Verissimè dicitis, inquit, quis ita mente cæcus, qui non videat id cuique generi malum esse, quod contra ejus naturam est? Sed hoc constituto, exercitur hæresis vestra: nalla enim natura malum,

si quod contra naturam est, id exit malum. Vos autem asserētis
 quamdam naturam atque substantiam malum esse. Accedit etiam
 illud, quod contra naturam quicquid est, utique naturæ adversatur,
 et eam perimere nititur. Tendit ergo id quod est facere ut non sit.
 Nam et ipsa natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in
 suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine ab eo, quod
 est esse, vocamus essentiam, quam plerumque substantiam etiam
 nominamus: ita veteres quid hæc nomina non habebant, pro essentia
 et substantia naturam vocabant. Id ipsum ergo malum est, si præter
 pertinaciam velitis attendere, deficere ab essentia, et ad id tendere
 ut non sit. Ergo non admittendum est malum illud principium quod
 Deo bono Manichæi apponebant.

Non nimis eorum quædam præcepta deridendo, Augustinus, ut
 ipse Manichæus fuerat, funditus illos hæreticos evertit. Ficum enim,
 exempli gratia, cum decerpitur plorare credebant et matrem ejus arboris
 lacrymas. Quam tamen ficum si comēdisset aliquis sanctus, alieno sane
 non suo scelere decerptam, misceret visceribus, et anhelaret de illa angelos,
 imò vero particulas Dei gemendū in oratione atque iuctando. Quæ
 particulae summi et veri Dei ligatae fuissent in illo pomo, nisi electi
 sancti dente ac ventre solverentur. Adde his unguis multa nefanda
 comissa, quæ horrendam sanè Manichæorum religioem pro sanā
 mente faciunt. Revera promittebant discipulos suos veritatem intueri
 et in Christianam fidem vehementer invehantur, sed frustra nam
 omnes promissis frustrabant nec ad Deum introducebant nec omni
 errore liberabant.

FN
Multos scripturae sacrae libros, praesertim testamentum vetus
abjiciebant Manichaei sub hae fallaci specie, quod illas christiani
corruperant. Contra quos sacrae scripturae authenticitatem integritate
tenque stabilire passim satagit Augustinus. Praeterita in libris de genesi,
de Evangelii, de Psalmis quasdam edidit explanationes ad vindicandam
contra Manichaeos veritatem Christianam. Praesertim vero utramque
scripturam similiter catholicam commendatam esse auctoritate ostendit his
notissimis verbis: « ego Evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae
commoveret auctoritas ». Quae cum ita sint, jam omnibus apparet Mani-
chaeorum non esse veram religionem, sed contra solam veram esse reli-
gionem Christianam.

Caput quartum.

Adversus Judæos

Tractatum adversus Judæos habet sanctus Augustinus. Hi enim Jesum Christum ut redemptorem accipere volebant, pretendentes Prophetias in eo non impletas fuisse. Unica igitur erat via eos convencendi, scilicet probando omnia prophetarum oracula in Christo impleta fuisse. Quod reipsa sanctus doctor perfecit. Querit enim Judæis quid sibi vult quod sic prænotantur quidam psalmi quos et ipsi legunt et habent in litterarum auctoritate sanctarum, ut in eorum titulis scriptum sit: « Pro iis quæ immutabuntur » Tertius vero eorundem psalmorum Christum prædicat: nisi quia eorum mutatio per illum futura prædicta est, per quem apparet impleta?

Psalmi Christi adventum prædicaverunt, qui nempe Deum et hominem esse debet; ipsius Passionem, sicut in Evangelio factam legimus; apud Judæos omnia transmutata fore. Prophetæ, ut Jeremias, novum testamentum nuntiant, omnium antiquæ legis sacrificiorum finem; quod impletum cum Christo est. Isaias Judæorum dimissionem et gentilium vocationem ad Christum prænuntiavit; quæ nunc ad hæc facta vidimus. Christum ergo ut Deum verum et Messiam recognoscere Judæi debent: Quos finiendo his hortatur Augustinus:

« Tandem non credidistis et contradixistis, sed nondum peristis, quia nondum de corpore existis, et nunc habetis spatium penitendi, et nunc venite. Si vos tanquam domum Jacob prophetam

secutos, jam in luce Domini creditis ambulare, Domum Israël quam
dimisit ostendite! Nos enim utrosque monstramus, et quos ex illâ
domo vocando discreverit, et quos illic remanentes dimiserit. Vocavit
enim inde non solum apostolos, sed etiam post Christi resurrectionem
populum magnum; unde superius jam diximus: dimisit autem
illos, quos etiam vos non credendo imitamini; et vos ipsos, qui eos
imitando in eâdem pernicië demoramini. Aut si vos estis quos
inde vocavit, ubi sunt quos dimisit? r

128

Caput quintum

Adversus Donatistas.

Inter multos errores, Donatistæ dicebant veram ecclesiam esse Donatistarum; nam ecclesia Catholica erat lapsis, libellicis et traditoribus impleta. Verunt ut talis propositionis veritatem probarent, miracula exhibebant a Donatistis, ut dicebant, patrata. Soepè cum illis Augustinus sermonem habuit, ut tantum erramentum refelleret sed eos præsertim depugnavit, veras Ecclesie notas non apud Donatistas sed apud catholicos esse monstrando. Miracula ergo reliquit dimissa ut Unitatem primo, Universalitatem deinde, seu Catholicitatem, Sanctitatem postea, Apostolicitatem per trenio ecclesie Catholice stabiliret quem de unâquaque notâ disserentem nunc sequemur. Primum Unitatem Donatistæ non habent; nam & extra ecclesiam sunt qui vel ^{de} Capite Christo, vel de corpore ejus quod est ecclesia, a Christi testificatione dissentiunt. Totus Christus caput et corpus est. Caput unigenitus Dei filius, et corpus ejus ecclesia, sponsus et sponsa; duo in carne unâ. Quicumque de ipso capite a scripturis sanctis dissentiant, etiam si in omnibus locis inveniantur, in quibus ecclesia designata est, non sunt in ecclesiâ. Et rursus quicumque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, et unitati ecclesie non committunt, non sunt in ecclesiâ, quia de Christi corpore, quod est ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt 77.

Secundò Christi vera Ecclesia ex scripturis, ex lege, ex psalmis, ex prophetis, et ex Evangelio, Catholica esse debet. Atqui utra catholica sit, an Catholicorum Donatistarum ve ecclesia?

¶ Ill ego non commemorem gentes, quae post apostolorum tempora crediderunt, et accesserunt ecclesiae: illae ipsae solae, quas in sanctis litteris, in actibus, in epistolis apostolorum, et in apocalypsi Joannis invenimus, quas utrique amplectimur, et quibus utrique subdimur, dicant nobis isti quemadmodum Africanam seditione perierint. Antiochena ecclesia, ubi primum appellati sunt discipuli Christiani, quomodo potuit Afrorum perire criminibus? Quis tam vehemens Africanus tam longè potuit ablatam spargere pestilentiam, ubi nec nomina eorum per quos ortum est, vel de quibus ortum est malum, nota esse potuerunt, Athenis, Leonio, Lystris? Quocirca, Donatis loe, si nescitis, quaerite ab Jerusalem per terrana itinera in circuitu usque in Illyricum quot mansiones sint: si tot ecclesias computemus, dicite quemadmodum per Africanas contentiones perire potuerunt? Jam verò Galatia non una ecclesia est, sed in ea regione innumerabiles. Quot putatis esse ecclesias omnia loca, quae Petrus nominavit, Pontus, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia? Quid Joannes quibus scripsit, Smyrnae Pergamo, Sardis, Chiatyrae, Philadelphiae, Laodiceae, quae sunt ecclesiae? Cognoscite ergò etiam quam longè ab Africa remotae sint, et dicite nobis, cur eas omnino vobis ignotas, et in apostolicis litteris manifestatas, tam sacrilegâ temeritate accusetis et tantâ dementiâ

149

criminibus Afrorum perisse dicatis? (Litterae contra Donat. CXIII.)

Cum tertio sanctam esse debet Christi Ecclesiam; videamus ergo qui sunt Catholicae Societatis mores! At merito haec ecclesia mater christianarum verissima, non solum ipsum Deum, cuius adoptiva vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicat; nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire iubeamur; pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum sed et animi aetas est, exercet ac docet. Feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam sobolem et ad rei familiaris societatem, casta et fidei obedientia subijcit. Viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliores sexum, sed sinceri amoris legibus praeficit. Parentibus filios libera quadam servitute subijungit, parentes filiis pia dominatione praeposit. Fratibus fratres religionis vinculo firmiore atque aetiore quam sanguinis nectit. Dominos servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione docet adherere. Cives civibus gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum sed quadam etiam fraternitate coniungit. Docet reges prospicere populis, monet populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objuratio, quibus supplicium seculo docet, ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur injuria. Illi merito tam multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeo Dei amore flagrantibus, ut eos in summa contententia atque mundi hujus incredibili contemptu etiam solitudo delectet. (De moribus ecclesiae).

101
Sanctitatem ergo producit et habet ecclesia catholica; sed non tamen omnes catholici sunt sancti; nam in hac terra boni et mali mixti sunt; cum nempe Dominus dixit: *sinite utraque crescere usque ad messem* &c.

Quartam tandem veritatis habet notam ecclesia catholica, scilicet Apostolicitatem, ut his verbis intelligitur Sancti Augustini in Psalmo contra partem Donati: « *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo patrum quis cui successit videte; ipsa est petra; quam non vincunt superbae inferorum portae* » . aut contra litteras Petilian. (Cap. 51.) « *Verumtamen si omnes per totum orbem tales essent quales vanissimo criminari, cathedra tibi quid fecit ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit et in qua hodie Anastasius sedet: vel ecclesiae Ierosolimitanae, in qua Jacobus sedit, et in qua hodie Joannes sedit, quibus vos nefario furore separastis! Quare appellas catholicam pestilentiae cathedram Apostolicam?* »

Ex his ergo patet Catholicam ecclesiam esse a Christo veram societatem fundatam nec non Donatistarum coetum, apud quos nihil notarum illarum invenitur.


Non minori tamen cum hi Sanctus Augustinus in ecclesia auctoritatis dogmaticae necessitatem adstruit; quippe qui ^{Dicit} « *Hactenus potuit ratio perducere, versabatur namque nonne veritate certior, sed consuetudine securior, in rebus humanis. At ubi ad divina per-* ventum est, avertit sese, intueri non potest, palpitat, aestuat, inbiat amore, reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione sed fatigatione convertitur. Quam hic formidandum est, quam tremendum, ne majorem inde concipiat anima

imbecillitatem, ubi quietem fessa fessa conquirat. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis sapientiae, ne bis illa opacitas auctoritatis occurrat ».

Nonne credetes Augustinum aliquem novatorum hortari ut ab errore liberi examinis, ut dicunt, eum deterreat ?

At ubi in Ecclesia sit illa auctoritas ? In pontifice maximo, ecclesiae Romanae episcopo, eam jacere credebant, exceptis Donatistis, contra quos ille : « In Petro tanquam in Petra fundata sit ecclesia : qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii : « hoc ipsa Petra ecclesiae, canente culpam diluit »

Sed scio me postea saepissime sic exposuisse quod a domino dictum est : tu es petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus dicens : « tu es Christus filius Dei » At sic Petrus ab hac petra appellatus personam ecclesiae figuraret, quae super hanc Petrum aedificatur, et accepit claves regni caelorum. Non enim dictum est illi : tu es Petra, sed tu es Petrus ; petra autem erat Christus »



Conclusiones.

Ex hac nostrâ expositione, omnibus patet a Sancto Augustino, Christianismi adversarios dum refutaret, veram et perfectam religionis Christianæ et catholicæ demonstrationem confectam fuisse.

Primum enim adversus Paganos, deorum omnium inutilitatem atque impotentiam ostendit; adversus Philosophos, Varronis naturalismum, Platoniarum erramenta, Rationalistarum excogitata diluit; adversus Manichæos, duorum principiorum existentiam et cultus illorum abominanda expugnat; adversus tandem Judæos, Veteris testamenti abrogationem et Christi divinam missionem probat. Unde rectè jam concluditur religionem christianam solam esse veram atque amplectendam.

Deinde adversus Donatistas ecclesiam catholicam solam esse Unam, Catholicam sanctam et Apostolicam, et ita solam esse Christi ecclesiam patefecit.

Bernhardt

152

[Faint, illegible handwriting]

[Faint, illegible handwriting]

13